




CENTURIA CHYMICA,

hoc eſt

Tractatus Aureus de lapide Philoſophorum Carmine conſcriptus

ab

AUTHORE ANONYMO.

Scribere qui proprium differt hoc tempore nomen,
Optatum donec competat omen ei.
Nomini ineſt omen &c.

Anno 1652.

Hanc artem Physici per Sola ænigmata scribunt,
Ut maneat propriis cognita filiolis.
Haut arcana feris sunt proijcienda catellis,
Nec prodest tetræ lucida gemma Sui.
Libri sunt artis testes, arcana revelat,
Solus qui cœli dirigit astra, Deus.

6.

Chymici tantum filiis suis scribunt.

Scribunt indoctis, doctisq; pœmata passim
Versifici, Chymici sed soboli aque sibi.
Permittuntque Deo sua munera distribuenda
Qui renes hominum cordaque cuncta probat,

7.

Chymicus sit constantis animi.

In curru veluti rota quæq; volubilis errat,
Sic opus hoc Chymicum sæpiùs ire solet.
Nam quicquid sublime, petit mox inferiora,
Quicquid & ima petit, rursus ad alta redit.
Hujus & Artifices vagabundi sunt, vaga tractant,
Ast ars constantes optat habere viros.

8.

Quo in terrarum loco materia lapidis, Philosophici sit quærenda.

Continet auratum vellus Germanica tellus,
Colchidis haut opus est, te penetrare fretum.

9.

Materia lapidis Philosophici per Cabalam revelata.

Materiam lapidis Chymici designat Adamus,
Toto terrarum primus in orbe reus,

Hunc

Hunc Deus Omnipotens rubrâ tellure creavit,
Quam vox Hebræis ſignificavit Adam.
Magnum nomini ineſt omen, ſi myſtica ſpectes,
Quæ Judæorum Cabala Dia docet,
Nominis hujus enim numerus decies quater & ſex, 40
Codice ſacrato cognitus eſſe poteſt.
Temporis hæc etenim ſpatio fuit ædificata,
Olim Hieroſolymis altera ſancta Domus.
Mercury ſimul & Solis numerus tibi pandit,
Nomina, literulas rite locare ſcias.
Sexagintaq;, ſex cum ſexcentis, ſacer ordo,
In numeris eadem notificare poteſt. 666.

10.

Unica tantum eſt lapidis Philoſophorum materia.

Unicus eſt lapis, & Medicina metallica tantum,
Unica, præter eam non datur ulla tibi.
Additur huic peregrini nil, nil demitur ipſi,
Ejus præterquam pauca ſuperfluitas.

11.

Materia Philoſophorum diverſo reſpectu eſt multiplex.

Materiæ ſunt, una, duæ, tres, quatuor, atq;,
Quinq;, ſed una tibi, veraq; ſufficiat.
Suntq; duæ, quarum manet hæc, volat altera ſurſum,
Sunt tres Sal, ſulphur, Mercuriusq; ſimul.
Sunt elementa tibi quoq; quatuor, Ignis & aër,
Quæ ſub aquis quæras, ſic tibi terra manet.
Poſt Eſſentia Quinta, metallica Pharmaca præbens,
Inſequitur, ſimul ac cætera quæq; tenens.

12.

Materia lapidis Philosophorum fide tantum concipitur.

Materies auri Chymici tam distat ab auro,
Vulgi, quam tellus distat ab axe poli.
Ergo fides opus est cernentibus exteriora,
Donec cognoscant interiora simul.

13.

Exemplum addit Sendivogius.

Siste aliquot simul infantes, sub veste latentem,
Sexum, non poteris cernere luminibus.
Vestibus ablatis, pueros interq; puellas,
Discrimen facile est noscere luminibus.
Namq; aliter rerum formas vulgaris ocellus,
Concipit, atq; aliter Doctor in arte suâ.
Per speculum tantum naturæ cernimus umbram,
Atq; sub hac virtus maxima tecta latet.

14.

Summa totius artis ex Hermete Trismegisto primo Inventore.

Inferiora suis sublimibus æquiparantur,
Sunt eademque soli, sunt eademq; poli.
Mercury rapidum, terræ si demseris ignem,
Solerti, mentis dexteritate, tuæ.
Spiritus â terrâ super æthera lucida scandit,
E Cœlo rursum lapsus hic ima petit.
Mercurius sceptro terramque polumque gubernat,
Abscissæ plumæ quando fuêre sibi.
Atque caput caudæ, super ignem fusile, junctum,
Ut rubor inclusus exteriora petat.
Omnia quæ tangit fulvum traducit in aurum,
Hæc sunt Alchymicæ, mystica dona, scholæ.

15. Sum-

15.

Summa totius artis è Gebero Rege Hispaniarum.

Nil Chymicum Sulphur Chimicâ conducit in arte,
Si deerit lecto, candida nupta, suo.
Namque metallorum corrumpit corpora quæque,
Sed Cave ne capias absque magisterio.
Non etenim corpus, sed corporis abdita virtus,
Ætherei, Chymico, seminis instar erit.
Mas etenim solus nescit producere prolem,
Auxiliatricem, nî ferat uxor, opem.
Conceptum semen matris nutritur in alvo,
Perfectus donec tempore foetus erit.
Indeque progressus materno lacte cibatur,
Donec eum tandem membra tenent solida.
Indeq; supposita hæc subsistunt jam tria per se,
Et præbent Chymicæ, Pharmaca trina, scholæ.

16.

Phænicis ovum Philosophicum.

Phænicis, testâ, luteo, atque albumine constat,
Ovum, quod Chymici concelebrare solent.
Solem, testa notat, candor Lunam, luteumque,
Mercurium, lapidis sunt tria principia.
Calfacit albumen, testa extima, sulphuris in star,
Alitis haut intrans interiora semel.
Ipsius albumen carnem designat & ossa,
Mercurio luteum sanguinis in star erit,

17.

Phænix Philosophicus.

Mercurius vagus, auricomus Sol candida Luna,
Sunt mineræ lapidis, Martis, & artis ope.

Materiam lapidis Physici tibi suppetit Hermes,
Ipsius in formans, nobile Sulphur erit.
Sulphuris haut prodest lapidi substantia tota,
Hermes aurifero semine gaudet, ovans,
Elicit hoc semen tantum Tithonia conjux,
Et matrice suâ concoquit ipsa diu.
Semina cocta diu furtim simul arripit Hermes,
Concipit, & post hac Hermaphrodita parit.
Hermes terribilis propter sua furta necatur,
Impositusque rogo, vertitur in cineres.
Auriferi cineres salsas mittuntur in undas,
Nascitur hinc Phænix, unica semper avis.
Hæc reparat, nutrit, seque ipsa reseminat ales,
Atque suum nidum semper in igne struit.
Hæc potis est cunctos hominum depellere morbos,
Hæcce metallorum languida membra levat.

18.

Materia lapidis Philosophorum ê mari petitur.

Materies, aqua, prima metallorum bene mixta
Terrestri fluido, dicitur â Physicis.
Atque elementa duo mineris hæc omnibus insunt,
Attamen occultè cætera bina latent.
Oceanus fertur cunctarum mater aquarum,
Hinc etenim veniunt, huc redeuntque simul.
Oceanus Chymicus sic ipse duobus abundat,
Piscibus, hos Physici subdola dextra capit,
Hic Balena ferox, alter dictus Leviathan,
Squamosus, cunctos ore fremente vorans.
Uxorisque vices Balena, viri Leviathan,
Sustinet, hi quando rite coire solent.

Nasci-

Nascitur horrendus mixto de spermate Cetus,
Cujus sunt squamæ funditus auriferæ.
Ceti sperma metallorum medicina salubris,
Assolet illorum pellere namque lepram.
Pluribus haut opus est verbis, nam languida quæque,
Corporis humani membra levare solet.

19.

Materia lapidis Philosophici desumitur ab insectis

Est salamandra potens, nullis obnoxia flammis,
In regno Chymico cognita cuique satis.
Hanc, quæ prosequitur, cervinis cornibus, ales,
Non caper, aut aries, sed scarabæus erit.

20.

Materia lapidis Physici comparatur Bestijs.

In sylvis Chemicis multis ululatibus errat,
Quadrupedum princeps, bellua tergemina.
Alcis cui corpus, sed mens Elephantis atrocis,
Cornu quæq; feri Rhinocerotis habet.
Rhinoceros num sit, Physici solertia quærit,
Qui dubitat, Mechis, credat adesse duos.

21.

Materia lapidis Philosophorum æquiparatur contentis in arcâ fœderis.

Hermetis tabulas, mannam simul, atque bacillum,
Mercurij, Chymici fæderis arca tenet.
Hæcce tabella Smaragdina, leges monstrat in arte,
Mensuram, numerum, pondus itemque docet.
A Jove Saturnus regnis exutus Olympo,
Hanc secum Mannam, quam capit arca, tulit.

Fertur Aaronis quondam viruisse bacillus,
Mercurij, credas, arida virga, viret.
Arcam qui gestare cupit Levita sit ipse,
Ni velit ultrices sustinuisse manus,

22.

Ornatus Tabernaculi Chymici.

Lampadibus septem Chemicus Levita sacratum,
Aggrediatur opus, quæque metalla, puto,
Non oleum desit purum putumque lucernis,
Ad conservandam lampada perpetuam.
Induat & vestem Chemicus Levita sacratam,
Cujus Vrim, Thumim capsula sculpta gerat
Dixi multa quidem sapientibus atque peritis,
Artis dimidium, qui bene cepit, habet.
Ignis & A Zoth sufficiunt, Vr denotat ignem,
Thumim justitiam significare solet.

23.

Materia lapidis Physici ex novo Testamento desumta.

Aurum, thus, myrrham, plebs obtulit ipsa Magorum
Christo, Thus Lunæ est, myrrhaque Mercurij.
Concipit hic flammas, atque ardent ambo seorsum,
Nulla simul junctis vis violenta nocet.

24.

Requisita in Philosopho Chemico potissimum consideranda.

Inque metallorum, salibus propior via constat,
Artis secretum salque vitrumque dabunt.
Nam quicunque vitrum fragile, haut sibi ductile reddit,
Huic dabitur Chemicâ nullus in arte locus.
Eque petrâ vivas qui nescit ducere lymphas,
Huic dabitur Chemicâ nullus in arte locus.

Eq; volatilibus qui neſcit ducere fixa,
Huic dabitur Chemicâ nullus in arte locus.
Qui ſimul hæcce tenet, propriâ praxique docebit,
Huic dabitur Chemicâ, primus in arte locus.

25.

Materia lapidis Philoſophorum infinita habet nomina.

Publica ſi qua fides Chemicis adhibenda libellis,
Enſifer ille ſenex ipſe requirit eam.
Hoc ſine nil veri noſtrâ perfeceris arte
Claudit hic, atque aperit, vivificatque necat;
Arſenicum noſtrum ſi quis cognominat ipſum,
Geberi mentem funditus ille tenet.
Si panacæam, vel Theriacam dixeris ipſum,
Hermetis ſectæ tunc imitator eris.
Fulgida quot noctu toto ſunt ſidera Cœlo,
Materiæ noſtræ nomina ſunt totidem.
Et niſi multiplicarentur cognomina noſtræ
Materiæ, ars pueris ludificanda foret.

26.

Lapis Philoſophorum ex ſolo Vitriolo ortum ducit.

„Eſt in vitriolo quicquid quærunt ſapientes,
Artificum vetus eſt regula, vera ſimul.
Uitrioli triplex genus eſt, quod rite notandum,
Mercurij, Lunæ, Solis itemque, viret.
Quicquid germinat, omne viret, viridis color ipſe,
Vita eſt tum plantis, arboribusque ſimul.
Tempore Maiali, quæſo totam aſpice terram,
Luminibus quicquid cernis, id omne viret.
Sic viret & noſter, credas mihi, vitriolatus,
Mercurius, pennis ſic caret ipſe ſuis.

Sic viret & noster viridis Leo, quando necatur,
Tum simul ac penitus candida Luna viret.
Hic color artifici medius rubrum inter & album,
Sed de materiâ, deq; colore satis.

27.

Fides, spes, Charitas, in opere Philosophico consideranda.

Unica spes Chymici fulvo consistit in auro,
Sæpius ast vanâ, luditur arte suâ.
Id quod habet, perdit, quod sperat & optat, amittit,
Discedunt, species æris, & umbra manet.
Ipse libris fidet libri diffidere at ipsi,
Sæpe solent, vanâ, fallitur inde fide.
Charus amor fidei per devia quotquot aberrant,
Hîc iterum justam monstrat inire viam.

28.

Materialia lapidis Philosophici unde desumenda, ex Sendivogio.

Saturnus Lunæ, Veneris Mars, Mercurijq;
Iupiter, in Chemiâ munia mixta gerunt.
Nam parili spatio distant â fonte caloris,
Quem Sol impertit lumine cuiq; suo.
Emendant tantum sublimia corpora Solem,
Hæc cape prudenter, cætera linque simul.

29.

Morienus de tribus lapidis Physici principijs.

Albo cum fumo, viridis Leo, fætidaq; unda,
Sufficiunt Chemico, cætera quæq; fuge.

30.

Epilogus.

Aut

Aut hic aut nuſquam dabitur tibi nōſcere plusquam,
Semina quæ Corydon ſeminat, illa metet.
Quisq; metalla ſerit, metet ille metalla ſubinde,
Utq; tuum ſemen, ſic tua meſſis erit.

31.

Efficacia lapidis Philoſophici.

Heu! quam dura premit miſerum conditio vitæ,
Sive ſit is morbo, ſeu ſimul aëre, miſer.
Subvenit his noſtri lapidis confectio vera,
Atq; malum penitus curat utrumque ſimul.

32.

De permutatione quatuor Elementorum.

Ex terrâ, fit aqua, hinc aër, poſt proſilit ignis,
Unica Sphæra tamen, poſteriora tenet.
Nam latitare ſolent in aquâ, ſimul ignis & aër,
In terram tandem, ſingula quæque cadunt.

33.

Roſarius, de Terrâ.

Spirituum requies tellus eſt, namque coactis,
Ulterius nunquam fervida flamma nocet.

34.

De Aquâ.

Perficitur ſolum, quam quærit turba Sophorum,
Ars, per aquas ab aquis, propter aquas in aquis.

35.

Sendivogius. Tract: 11. de Igne.

Duplicis eſt Ignis generis, primus ſibi conſtat,
Materiamque ſuo claudit hic ipſe ſinu.

Sed naturales flammas tibi suggerit alter,
Materiam figit, digerit aque coquit.

36.

Idem de Aere.

Quatuor ex Elementis primum, nobiliusque,
Cunctarum rerum, vivida mater aqua est.
Hanc super ipse ferebatur divinus & almus
Spiritus, ut Moses tradidit ipse sacer.
Spiritus est Ignis liquidas, qui commovet undas
Aera sic ortum, cuncta creata, trahunt.

37.

Miraculum in conficiendo lapide Philosophorum, notatu dignum.

Durâ disce petrâ vivos educere rivos,
Si cupis Alchymicum scire magisterium,
Atq; petram si nescis, infelix hebetescis,
Ars Chemiæ mystas mystica multa docet,
Credibile est vulgaris quod caliget ocellus,
Attamen hoc verum permanet artis opus.
Aspice præduros silices, auroq; scatentes,
Glebas, naturæ multa stupenda vides.

38.

Arsenici virtutes.

Arsenicum niveum corpus tibi destruit auri,
Et redigit nigros prorsus id in cineres.
Natura hic ludit, ludat ne te ipsa, caveto,
Ingenij, haud lusus sed tibi mortis erit.
Scorpius ipse venenatus solo necat ictu,
Id quod & Arsenicum præstat odore suo.

39.

Theophrastus de eodem.

Arseni-

Arſenicum nobis tinſturam porrigit albam,
Id quod in albato conſpicis ære novo.

40.

Sendivogius Tractatu XI. de Saturno.

Quando ſenex noſter vorat argentumque Chryſonque
Ars dat noſtra ſuo languida membra rogo.
Et cineres coquit, auriferos, ferventibus undis,
Exoritur ſanans, hinc medicina, lepram.

41.

De Calcinatione.

Quam ſolvas, priùs efficies ex corpore calcem,
Cauſtica quo melius ſolvere poſsit aqua.

42.

De ſolutione in genere.

Uniri meliùs quo poſsint corpora, ſolvas,
Semen & incluſum trudere quodque foras.

43.

De ſolutione Auri.

Haud per aquas fortes, Regisve reſolvitur aurum,
Sed tibi quærenda eſt unica materies.
Provida quam noſtrum natura creavit ad uſûm
Funditus hæc ſolvit quæq; metalla tibi.
Hac cum materiâ noſtrum ſi jungitur aurum,
De nive manantis more liqueſcit aquæ.

44.

Raimundus Lullius de furno, vaſe, igne.

Unicus Artifici ſit furnus, vaſcula bina,
Calx, & equi ſtercus ſcilicet, Ignis erunt.

45.
Idem de decoctione.

Solvere, ſublimare, coagula fundere, coctis
Uti, ſunt Chymici Martis & artis opus.

46.
De odore materiæ, Morienus.

Primum materies ingratum ſpargit odorem,
Aſſimilatur enim ſæpe cadaveribus.
Tartarei verò cum ceſſavêre labores,
Vix odor hoc noſtro gratior ullus erit.

47.
Idem, de tactu.

Materiæ mollis tactus, & major in illâ
Quàm latet in proprio corpore mollities.

48.
Arnoldus de pondere.

Unum ſi fuerit niveo de Sulphure pondus,
Sint tria fermento pondera mixta tuo.

49.
Separatio.

Terra gravis repetit fundum, tria cætera ſcandunt,
Aëra, ſi fuerint ipſa ſoluta ſimul.
Quæ niſi diſſolvas quartus comitatur euntes
Tres ſocios, ignis ſi fera flamma premit.

50.
De coloribus, Theophraſtus.

Pullulat ex unâ candor, radice, ruborq;
Rhaſis
Aſt fermenta ſolent hîc variare duo.

51. De

51.

De multis in opere coloribus.

Materiæ noſtræ primus color ipſa nigredo,
Quam putrefacta ſuo porrigit artifici.
Nigredo ceſſat cum quadraginta diebus,
Tunc corvus propriâ concidit ipſe manu.
Præſtolatur eum pedetentim candidus ales,
Exequiale melos cantat hic ipſe ſibi.
Si melos hoc audis, credas mihi, certus in arte es,
Nemo extra Chymicum percipit hocce melos.
Hoc de concentu, longus ſermo eſt apud omnes,
Qui tradunt Chymicæ dogmata docta ſcholæ.
Chlorion inſequitur Cygnum, poſt hunc apiaſtra
Advolat, & paulo poſt rubicilla venit.
Hæc avis haut ultro falcones aucupis horret,
Ut Phœnix nidum texit in igne ſuum.

52.

Pandectæ Chemicæ de coloribus.

Materiæ prior eſt ater, ſed candidus alter,
Tertius ipſe color, ſanguinis inſtar erit.

53.

Hermes de coloribus.

Eſt aliquid viridis color, aſt vult quisq; ruborem
Candidus atq; niger ſunt in honore pares.

54.

De pondere & menſura.

Frigoris eſt pondus tantum, menſura caloris,
Humida cum ſiccis prorſus utrumq; petunt.

55.

De Salibus.

Artis, principium, Chemicæ, ſal fuſile, primum,
Artificis madidas non ſinit eſſe manus.

Auriferum sulphur, necnon solidata metalla,
Dicitur in primam solvere materiam.
Sulphur Mercurio pennas comburit, ut ultro,
In flammâ tutum, possit habere, locum.
Mercurius fixus rubicundum tingere in aurum,
Quæq; metallorum corpora fusa solet.

56.

Avicenna.

Sal radix operis, medium sal, finis itemq;,
Sal solvit sulphur, Mercuriumq; simul.

57.

Sal Urinæ.

Sal quod in urinâ, jungit tibi corpora bina,
Qui caret hoce salem sumat is Armenium.

58.

Sal communis.

Sal commune sinit nullum putrescere corpus,
Præterquam nostri membra magisterij.

59.

De sale Alembrot,

Sal vini, quercus, lapidum, nitriq; marisq;,
Fossile sal, species has reverenter habe.

Additio.

Adjice Virgineum mel his, sevumq; suile,
Horrida Mercurio, vincla parata, tuo,

Natura.

Sis apagê procul hinc tetro cum stercore nequam,
Aut tibi productum noster Apollo dabit.

Arti-

Artifex.

Arbitror Enſiferi mannam, cum ſmegmate, mixtam
Quo ſe Mercurius pingere ſæpe ſolet.

Natura.

Quid pictura juvat? Tincturam quæritis omnes,
Hermes quam ſolus poſsidet ipſe meus.
Cui peregrini nil addas, nil demſeris unquam,
Extraquam feces, quas ſimul ille tenet.

60.

De ſulphure.

Aurificum ſumas neglecto corpore ſemen,
Nam multum moles corporis illa nocet.
Omnia, quæ tangit, mineralia corpora frangit,
Reſtituunt eadem ſemen, & ipſe rubor.

61.

De formâ & materiâ.

Materies quævis formam cupide appetit ipſam
Non ſecus ac proprium fæmina quæque virum.

62.

De Mercurio.

Mercurius terrâ ſubtili conſtat & albâ,
Rurſus aquâ clarâ ſulphureâque ſimul.

63.

De materiâ primâ.

Materies prima eſt duplex propiorque remota,
Mercurius propior, ſitque remota, liquor.

64.

Mortificatio Mercurij.

Occidunt duo Mercurium, ſibi fædere juncta,
Uxorisque vices hæc gerit, ille viri.

Mortificatio Mercurij facilis, ſed in auras,
Ut rurſum ſurgat difficilis labor eſt.

65.

Mercurius eſt venenatus.

Mercurius vivus dirum ſolet eſſe venenum,
Inſumptus lædit protinus ille jecur.

66.

Hermes de Mercurio.

Mercurius noſter nihil eſt niſi turbidus äër,
Quem ventus Chemicæ ſuſtulit artis ope.

67.

Mercurij operationes variæ.

Mercurius ſolvit ſe ſeque coagulat ipſe,
Seſe deſponſat, figere ſeque ſolet.
Ipſe venenatus draco ſingula quæque veneno
Occidit, donec triſtia fata ſubit.
Poſt obitum ſua præſtantiſsima Pharmaca præbet
In primis vero quando rubore cluet.

68.

De Mercurio Theophraſtus.

Mercurius nihil eſt niſi pura metallica ſpuma,
Quæ virtute ſui ſulphuris alta petit
Abſciſsis pennis repetunt ſua clauſtra dracones,
Gaudent terreſtri tunc habitare, loco.

69.

Mercurij præparatio

Mercurius vivus nocet, aſt redivivus amatur
Sanguine detento, cætera trade rogo.
Tartarus, Infernus, Plutoni ſubdita regna,
Iſta vices poſſunt ſuſtinuiſſe rogi.

Quan-

— Quando luit meritas corpus pro crimine pænas,
— Rite lubens animæ jungitur hocce ſuæ.
Hæc anima, hoc mirum, proprio cum corpore gaudet,
— Quamq; peregrino jungere nemo poteſt.
— Ambo juncta ſimul corpus ſunt glorificatum,
Quod Phyſici magnâ ſedulitate petunt.

70.

Mercurius redivivus.

Fit tandem rediviva decem virtute virorum,
Hermaphrodita malis mortua vulneribus.
Siq; viros neſcis, nihil eſt ſi cætera diſcis,
Quot præcepta Dei tot ſimul artis erunt.

71.

Mercurius Hermaphrodita.

Hermaphrodita parit, fit & ipſa puerpera ſeſqui-
Menſes, quod tempus rite notare ſcias.
Namq; puerperium celebres niſi more decenti,
Spesq; laborq; tuus prorſus inanis erit.
Quo reſtaurentur contracti corporis artus,
— Thermæ ſint potus, juſcula ſalſa, cibus.
Traditur hinc rurſum matrix fæcunda parenti,
Ut poſſit ſobolem multiplicare ſuam.
Concipit absq; viro poſthac ab imagine tantum,
Fit prægnans, & ſic virgo pudica parit.

72.

De tincturâ aureâ & argenteâ.

Sol dat Solares, Lunares Luna colores
Arſenicumq; vices hîc utriusq; gerit.

37.

De lapide triplici.

Tres lapides ſunt, atque ſales tres, ex quibus arte
Noſtrâ confectum eſt omne magiſterium
Mercurius triplex eſt, primus calcinat, alter
Sublimat, proſtat tertius hisce comes.
Sunt & aquæ tres, Solis, Lunæ, Mercurijque
Quæ ſolum fluidæ cauſſa prioris aquæ.

74.

Clangor Buccinæ.

Argentumque datur duplici diſcrimine vivum
Præparat hoc corpus, tingit & illud idem.

75.

De projectione & multiplicatione R.
Lullius in Elucidario. cap. 6.

Tingere, multiplicare reciprocus ordo laborum eſt,
Namq; uno poſito, non procul alter abeſt.
Hinc confert Phæbus conſtans tibi Cynthia lumen,
Quo ſine perfectè tingere nemo poteſt.
Mater Luna maris, ſalſas ſi commovet undas,
Tum ſimul incæptum falcifer ambit opus.
Sal homini condimentum ſimul atque metallis,
In Chymiâ fiunt plurima ſorte ſalis.
Deſtruit & combinat ſal diſjungit & æquat,
Quod fluitant mineræ fit quoque ſorte ſalis.
Mercurius ſitiens vicinus & accola Lunæ
Auxiliumque ſalis, Solis itemque petit.
Quo capto fixus, tinctis immergitur undis,
Donec ei tandem rubra corona datur.
Quatuor hanc ſocijs gratis communicat almis,
Sic ipſi proles plurima ſemper erit.

76. *Diſcri-*

76.

Diſcrimen inter Mercurium vulgi & Philoſophorum.

Mercurius mirum monſtrum parvum fugit ignem,
Cum tamen ille nihil ſit niſi flamma ferox.
Nam comburitur, ut ſulphur, ſi preſſerit ignis,
Mercurium vulgi flammula nulla capit.

77.

Raimundus Lullius in Teſtamento.

Tres Chymiæ lapides, primus vegetabilis, alter
Eſto animalis, poſt hunc mineralis erit.

78.

De tincturâ aureâ & argenteâ:

Phæbe rubore tuo, ſe Cynthia candida veſtit,
Attamen haut ſimiles hinc parit hæc ſoboles.
Pōderis hæc cauſſa eſt, quo vincere Cynthia Phæbū,
Aſſolet, hinc matri cedit hic ipſe color.
Phæbus enim nunquam tingit niſi rore rubenti
Mercurij fuerit ſparſus ad ima ſui.

79.

De tempore operis.

Cynthia cum Phæbo lapidem gignunt pretioſum,
Sed gaudent longâ, temporis ambo morâ.

80.

De projectione.

Expecta partum, terram ſi videris ipſam
Prægnantem, natam lacte ciba ſobolem.
Fluxibilis donec violentum ſuſtinet ignem,
Proijce tunc ixir fuſa metalla ſuper.

81. De

81.

De tempore Johan Isaacus

Ex Phæbo, Lunâque potest ars tota parari,
Tempore perlongo, sed tamen absque metu.

82.

Ignis & Azoth sufficiunt

Unicus est pes, quem sumant bipedes tripediq;
Commendent, & sic unicus ignis erit.

83.

Avicenna, de dissolutione materiæ.

Nunquam fructificat lapis, usq; resederit in nil,
Ut sit aquæ penitus, sive oleo similis.

84.

Bernhardus Trevisanus Comes de pondere.

Mercurij sulphur pondus tibi conferet ipsum,
Cujus respectu pondus abesse nequit.

85.

De triplici lapide.

In tribus hærebit constans perfectio rebus,
Quæ sunt Sal, sulphur Mercuriusq; simul.

86.

Mercurius quid sit.

Mercurius nihil est, nisi cauda caputq; draconis,
Qui pariter Veneris vim tenet atq; Iovis.
Nam fixus color est Veneris, Iovis aufugit alter,
Totius grijseus corporis est habitus.
Et Cælo caput æquiparatur, caudaq; terræ,
Ac triplo major fit polus ipse, solo
Sanguineum caput est, carnem tenet ossaq; cauda
Atq; caput mas est, fæmina cauda manet.

Alta caput quærit, ſed cauda recumbit in imo
Atq; immota jacet cauda, caputq; movet.
Totius hæc artis conſummatiſſima ſumma eſt,
Ut caudam jungas arte ſuo capiti.

87.

De ſolutione & ſeparatione materiæ Philoſophicæ.

Findere Mercurium quisquis vult, ſolvat oportet,
Difficilis labor eſt ille, ſed hic facilis.
Creditur experto facilis labor, atq; perito,
Diffugit ignaro prorſus ab igne vitro.
Nam nihil eſt Hermes fumus niſi conglomeratus
Quem vis compreſſit Sulphuris, atque ſalis.

88.

De incertitudine temporis in opere Philoſophico.

Non datur exactum tempus, menſesve, diesve,
Huic operi, cauſſas prorſus ob innumeras.
Nam locus atq; ignis variare ſolent tibi tempus,
Sic vitra, ſic ſervi, ſorsque laborque frequens.
Eſt qui tres unumque, duos quoque computat annos,
Sed menſes alii tot numerare ſolent.
Scilicet ut partus hominum variare videmus,
Ars opus hoc noſtrum ſic variare poteſt.

89.

Mercurius Pelecano comparatur & ſerpenti.

Elicit ut proprium Pelecanus acumine roſtri
Sanguinem, & hoc pullos vivificare ſolet.
Mercurii noſtri ſanguis ſic rite paratus,
Diſſectum corpus vivificare poteſt.
Naturam ſerpentis habet, rurſus coit in ſe
Quamvis diſciſſus ſit, meliorque redit.

90.

De vario projectionis modo ex Raymundo Lullio & Bl. Penoto à Portu Aquitano.

Hermes projecit caput ad caudam bene fusam,
Ast aliter sentit Lullius in Chemicis.
Projicias fundamentum super alterutrumq;,
Sic tibi materiæ, copia major erit.
Hinq; magis fugitivus, compedibus retinetur,
Ædibus alterius, sedibus ac propriis.
Propria namq; domus vix naturalis habetur,
Indiget & magno sæpe labore tuo.
Si quis homo generare cupit, non seminat iste
In proprium corpus, sed quod ei simile est.

91.

Quod ars Chrysopoeia raro ex mutis libris, sed plerunq; à vivo Praceptore comprehendatur.

In Chemiâ libri paucos fecêre Magistros,
Unus ab alterius cæperat ore, manu.
„ Lullius Arnoldo se præceptore fatetur,
Ad Chemicas artes continuâsse viam.
„ Angelici Thomas nomen Doctoris habebat,
Doctrinâ, toto clarus in orbe, suâ.
„ Illius Albertus magnus præceptor habetur,
Hinc Chymicæ celebres hauserat artis, opes.
„ Morienus Calid, totam patefecerat artem,
Ignaris quamvis tecta sit illa satis.
Atq; Theophrastum docuit Trismosinus olim,
Haly Rex Arabum, sic quoq; Morienum.
Deficeret me tota dies si scribere vellem,
Authorum Chemiæ nomina quæq; hodie.
Traducibus freti Chymicas qui funditus artes,
Perdidicêre suâ sedulitate tamen.

Quas proprio nunquam potuiſſent diſcere ductu,
Vixiſſent annos, Sancte Noache, tuos.

92.

Quod arcanum Philoſophicum non ſit revelandum.

Arcanum quisquis ſociis, aliisve revelat,
Tutus ab inſidiis vivere nemo poteſt.
Exemplo nobis ſit Sendivogius olim,
Nam Wilnfelſiacas incidit ille manus.
Qui ſpolia ampla tulit, dederat pro crimine pœnas,
Affixus crucibus triſte pependit onus.
Ejus adhuc facti plebs Wirtenbergica teſtis,
Aſſcriptus crucibus teſtis erit titulus.
Plura Theobaldus nobis exempla recenſet,
De Bragadino ſic quoq; de Monacho.
Quæ licet in proprio ſpeculari cuique libello,
Qui ſapit, alterius crimine, cautus erit.

93.

Quibus cognitio lapidis Philoſophici data ſit, ex mente Aurelii Augurelli l. 2?

Alchemiam nullus tractet fraudator iniquus,
Qui falſis alios ludit imaginibus.
Abſit decoctor, vel qui valet arte fabrili,
Et turpi vitam conditione trahit.
Diſcedat procul hinc Civis qui deditus Urbi,
Mercibus ex aliis quæritet ille lucrum.
Intactum quoque linquat opus mercator avarus,
Quem prius innumeræ concomitantur opes.
Ars odit Agricolas indoctos, Mechanicosq;,
Quiq; volunt multas quærere divitias.
Qui non Muſarum doctiſsima caſtra ſecutus,
Anne putas dignum nominis eſſe Sophi?

Anne putas meritum Physicorum hunc esse coronam,
Qui nunquam libros perdidicit Physicos?
Anne putas summum bona maxima ferre Jehovam,
His qui non digni sunt, meritiq; satis?
Auricomus lapis invitat tantum sapientes,
Quiq; Deum verâ Religione colunt.
Naturæ qui vult abscondita multa videre,
Conferat huc sese, scriptaq; quæq; legat.

94.

Quantum valeat administratio lapidis Philosophici, in corpore humano, ex mente Aurelii Augurelli, Ortholani?

Hæc divina potest medicina fugare senectam,
Quæ per se morbi totius instar adest.
„ Separat, & superat pravum, renovatque caducum,
Temperie præstans aurifera ille lapis.
Excitat innatum quoque sæpius iste vigorem,
Et pellit morbos funditus inde procul.
Conservatque diu nitido cum flore juventam,
Præstat in humano corpore mira simul.
Exsiccat madefacta, humectat & arida membra,
Frigida calfacit, & frigefacit calida.
Si morbus totos centum durâsset in annos,
Huic tempus curæ Menstrua Luna daret.
Dimidium morbi, curæ quoque dimidiatum,
Tempus habet si quis crediderit Chemicis.
Tresque dies, anni septem, sed & unicus annus,
Unum pro curâ, postulat ipse diem.

95.

Quod Philosophus ditescere possit absq; alterius damno, ex mente Aurelii Augurelli. lib. 1.

Qui cupit alterius nimium ditescere damno,
Plurima damna ferat, damnaque plura tegat.

Abs-

Abſque tamen damno dives magis ille videtur,
Divitias quisquis colligit abſque dolo.
Qui trahit ê propriis, prudens, ſine fraude, caminis,
Quod petit argentum, ſeu velit ipſe Chryſon.
„ Annua centenæ ſuperet quod pondera menſæ,
Sumptibus exiguis, temporis abſque morâ.
Cælitus hoc lucrum cum poſſeſſoribus auctum
Sit, nullus furto condere jure poteſt.

NB. Hîc deſiit Auctor Anonymus;
Cujus carminibus, ad complendam Centuriam
Chemicam addere libuit è Chryſopœiâ Aurelii
Augurelli Itali ſequentia, Heroicis verſibus conſcripta.

96.

De multiplicatione lapidis Philoſophici, ex Aurelii Augurelli lib 3.

Hîc ego non fictis, quæ ſunt tractanda figuris
Eloquar, & longis obducta ambagibus edam,
Quæ quondam artifices ipſi celaſſe fatentur
Conſulto, tanquam veteris mandata Sibyllæ.
Extremo huic igitur prudens ne cede labori,
Nam brevis atq; artis minimæ eſt, ſed divitis uſus;
Ergo vel inprimis fulvo confunde metallo
Confecti paulum medicaminis, idque beati,
Pulveris, actutum præ ſe vim ferre videbis.
Vel gravidum puro ſemen cum rurſus ab auro
Haut facili, & multâ extruſum collegeris arte,
Qui modus ex illis, quæ pridem exegimus, extat
Expreſſus ſatis, & fari non omnia par eſt:
Huic tu purpurei partem mox pulveris æquam
Immiſce, atque illis lentum ſuccende calorem,
Ac geminos illas etiam ſimul excoque Menſes,
Quo ſeriem ſpatio cunctam prodire colorum,
Pervideas, qualem ternos miratus in annos,

Videris, atquebrevi ſumas, quæ maxima longo
Tempore jam totâ quæſiſti ſedulus arte:
Idque iterum atque iterum facias, quotiesque peractum
Id fuerit, toties vires illius, & ipſum
Pulvereum excudes cumulum: namque ocyus ipſe
Creſcit,& hinc aliam ſumit, retinetque priorem
Virtutem creſcentem etiam; nec credere vanum eſt,
Illam adeo interdum priſcis auctoribus auctam,
Ipſius ut tenui projectâ parte per undas,
Æquoris argentum ſi vivum tum foret æquor,
Omne vel immenſum vorti mare poſſet in aurum,
Neptunuſque ſupra Divos ditiſsimus omnes
Tum fieri,& ſtrato luſum Nereides auro
Ire ſuper, puro ſiccantes Sole capillos
Cæruleæ,quo non alius color aptius auro
Hæret,& Æthereo cui plene convenit aurum.

97.

De ſervando ſilentio in opere Philoſophico propter imminentia pericula Idem *lib.1.*

Illud ſæpe etiam in primis iterumque monebo,
Ne,ſi rata tibi contingat gratia Cœlo:
(Namque aliunde ſibi nemo ſperaverit,) ulli
Hanc vix inſinues charo fidove ſodali,
Nedum aliis referes, ea ne te noſcere jactes
Quæ ſcieris, verum ſecreto in pectore ſervans
Tecum habita,& tecum tantum ipſa arcana revolve.

Et paulo poſt.

Nam quem non prohibet rerum prudentia fari
Quæ ſibi continuo fuerint cum dicta, nocebunt?
Tutus ab inſidiis quâ ſe virtute tueri
Poſſet, qui præ ſe ferret, ſe condere parvo,
Divitias, loculo, ingentes, quibus undique Regum
Et Regna aſſurgunt,& opes, opulentaque cedunt

Omnia, tanquam illis sint unis quæque minora,
Thesauros igitur tantos componere si quis
Jam potuit, mire sub amica silentia servet,
Quod quoque tu facies &c.

98.

De servando silentio, in opere Philosophico ob CacoChymistas. Idem, ibidem, lib. 2.

Est suspecta probis ars ipsa invisaque multis,
Invisos etiam cultores efficit artis,
Mendaces adeo multi quacunque vagantur
Multaque polliciti vanè quæ multa nec ipsi
Rescivêre, neque est illis ea noscere promtum,
Qui rectâ, quæ nos ducit, via prorsus aberrant.
Multos quin etiam insignes, & cætera doctos
Vidi cuncta equidem tractare, & pendere magni,
Quæcunque ignarum probat ac ignobile vulgus.
Quid? qui derident omnes, quæ maxima turba est,
Artifices, tanquam nihil hos intersit & illos,
Atque uno pariter pendunt examine cunctos.

99.

De vano Caco Chemicorum labore; Idem lib. 2.

Sulphura quid memorem longo detersa labore?
Nitraque, purgatosque sales, tostasque Lyæi
Longævi fæces, vel quæ atramenta calenti
Accensa effundunt guttas è vase rubentes?
Hinc solvunt, iterantque vices, ac sæpe resolvunt:
Deinde lavant, iterumque terunt, mox figere tentant.
In calcem vertunt etiam, missoque vapore
In sublime ferunt tenuati corporis auram.
Compositos variâ videas hinc lege caminos
Innumeros, totidemque luto lita vitrea vasa,

Quæ-

Quæq; ſibi vertit faber argentarius uſu,
Sordidiusq; aliæ quicquid fabrilibus artes
Exercent curis, noſtri arripuerê, ſuisque
Inſani aſcivêre laboribus: Atque ita ſemper
Sulphur olent, ſemper faciem fuligine tincti
Horrendas atrâ ſimulant ab origine larvas.

100.

De miſerando atq; irrito CacoChemicorum effectu, atque uſufructu.

Nec miſeram magis affirmes veraciter ullam
Artem aliam, quam quæ externis Alchemia verbis
Dicitur obſcurisque tegens ambagibus errat
Avia per, miſerosque trahit per iniqua ſequentes:
Ac tandem ejectos in cæca Barathra relinquit.
Ut videas quandoque bonum ſua prædia cives
Vendentem, patriasque domos, mercesq; repoſtas,
Fornaces inter verſari, ac follibus auram
Captare, in tenuemq; (nefas) convertere fumum
Rem, dubias dum quærit opes inſanus, avitam,
Difficilem interea conjunx mæſtiſsima vitam
Protrahit, illacrymant noti, fit ſordidus ipſe
Elauto, ludusq; patens, & fabula vulgi.
Exitus acta probat, nunquam ſapiens ea curat.

FINIS.



